

in firmissimo et antiquissimo etiam muro sat notabiles deprehenduntur, motus; si partium quadrantis per proprium pondus futuram cum tempore distractionem, et figuræ circularis mutationem, utpote mala necessaria, negligeremus: quis non intelligit difficultatem, totum limbum quadrantis ita in meridiano collocandi, ut ne uno quidem alterove minuto secundo aberret? quis motum tubi per limbum, si hic etiam recte esset constitutus, ita intra cancellos continebit, ut non aliquibus particulis hinc inde ad ortum aut occasum vacillet? — Sed nec minoribus difficultatibus elaboratio et usus quadrantum circa axem verticalem mobilium subiicitur: præterquam enim, quod minores plerumque et trium duntaxat pedum esse soleant, soloque hoc capite maius erroris periculum inducant, etiam omnibus iis laborant defectibus, quibus firma in eodem loco constitutio quadrantes murales eximit.

LV. Ad delicatissimas stellarum circa Zenith observationes aptissimum instrumentum est *Sector astronomicus* radii prælongi, cuius ope citra errorem vel unius minuti secundi stellæ a Zenith distantia exquiri potest. Eidem instrumento observationes debentur, ex quibus aberratio lucis et nutatio axis terrestris, ac per consequens telluris motus recte deducitur. — Magnam denique astronomis utilitatem præstant *Tubi in meridiano mobiles*, *Machinæ æquatoriae* et *azimuthales*, de quibus plura coram.

O. A. M. D. G.